


In figura ergo hac liquido explicatur proportio illa qua quilibet angeli ordo tam in materia quam in forma abundat, atque etiam quia in proportione diuina emanatio se immergat in multitudinem, hoc est in profunditatem, pyramidis formalis. Etiam in istius imaginis contemplatione videbitis apertis oculis, quo modo omnia à Deo sunt progressa, & quomodo ad Deum reuertentur, iuxta illud Apostoli: Et consequenter quomodo vnum sit omnia, & omnia tandem non sint nisi vnum. Porro etiam in pyramidis formalis speculatione debita percipietis, quid Cabalistarum intellexerint per magnum suum angelum *Metatron* seu emanationem ab *Ehie*, quæ est sapientia illa toties in scripturis allegata, quidque illa mundi anima Platoniorum, quid poetarum Pan & Panthea, quomodo angelus sit alteritas scilicet ex pyramide creata, hoc est materialis respectu sui externi, & pyramide increata seu formalis, respectu sui interni, vnde angeli dicuntur specula, lumina diuina suscipientia: quid denique sit natura creata, videlicet pyramis materialis, quæ fit ex aqua primordiali, quidque illa increata, videlicet pyramis informans, quæ est nihil aliud, quam emanatio seu effluxio diuinitatis, in spiritum seu aquam mundanum, tenebris olim obrutam & deformem, nunc diuina præsentia informatam, hoc est, in lucem productam: atque in conclusione possumus percipere, quod creatio sit nihil aliud, quam diuinæ emanationis cum recreanda permistio, utpote sine qua ne momento quidem temporis persistere queat; hinc ergo *Omnia verbo fieri* dictum est, & *sine eo nihil quod factum est*, hinc Deum ubique omniaque implere dicimus; hinc Apostolus dixit, *In Deo nos mouere, in eo, per eum, & ab eo omnia esse, &c.* At vero Angeli dicuntur creaturæ primæ compositionis, quia eorum materia omnium tenuissima, prius accepit effectus emanationis creantis, quæ ideo à sapiente dicitur creaturarum omnium prima.

Sed ne me male capiatis vbi de pyramidibus mentionem faciam, quoniam vox pyramidis sonare videtur mathematicæ, & præterea more mathematico eas descripsimus, videlicet cum basi & cono, intelligatis velim, quod de pyramide physica intelligam, & non mathematica, licet illam per hanc (utpote magis vulgariter cognitam) describere sum coactus, quare per physicam pyramidem intelligo spiritum mundanum, qui à terra ad mundi periferiam ascendens, semper gradatim se reddit in suo ascensu tenuiorem & subtiliorem, quousque in suo apice ad extremam peruenerit raritatis perfectionem, ultra quam metam nescit materia ascendere. At quod est extra materiæ captum, necesse est esse diuinæ essentiæ: Nonne videtur ipsa experientia hoc idem declarare, cum in hanc omnes coincidunt, tam physici quam in theologia peritiores, aqua terra esse subtilior, aerem aqua, ignem aere, ætherem igne, spiritum Empyreum æthere, qui etiam spiritus habet & suos gradus usque ad pyramidis physicæ conum. Hic ergo pyramidem materialem tam physice quam mathematicè expressimus, quo facilius à vobis quod à nobis est dictum concipiatur.



Similiter